

π h
895





QR. 523, 14

B. m. II



DEI OPE!
MELETEMA HISTORICUM
DE
GALLORUM
DRUIDIS

VENTILANDUM
SUB
MODERAMINE

M. Jo. FRID. SCHARF.

P. P.

OTTO RAHN


STETINENSIS.

AD D. IX. M. XBR.

H. L. Q. C.



WITEBERGÆ
LITERIS JOHANNIS HAKEN.



OTTO RAHNENS





V I R I S

Pl. Reverendis, Excellentiss. Clarissimis,
**DN. CASPARO GODOFREDO
MUNDINO,**

**S.S. Theol. Licentiato digniss. Ecclesiae
Marian. Archidiacono; Regii Gymnas. Sedinens. Pro-
fessori Ebr. Ling. Publ. merentissimo, Fautori su-
spiciendo.**

**DN. M. DANIELI Schultzen / Schol.
Sen. Stetin. Rectori vigilantiss. Praeceptoris quon-
dam suo fideliss. nunc Fautori singulariter
intimeq; colendo,**

**DN. BALTHASARI BENDELIO,
Concionatori Aulico, Ecclesiae Marian. Subdiac.
PATRI, Filiali amore & honore, aetatem
prosequendo.**

HOCCE

*Pro aequali semper & vere Paterno affectu
Beneficiorum cumulatim exhibitorum*

SIMULACHRUM

Pietatis argumentum

Gratitudinis testimonium


transmittit,

felicissima quaeq; apprecans:

Observantiss. Vr.

OTTO RAHNÆUS,





DE DRUIDIS.

I.

Inquiramus in originationem nominis, & unde sint dicti **DRUIDÆ**, sive *Druides*, investigemus cum curâ. **AVENTINUS** illos à conditore *Druyde*, seu *Dryio*, qui Psevdo-BEROSUS sub Ario, sexto Babyloniorum Rege apud Celtas peritiam plenam vixisse scribitur, nominatos autumat, *Lib. 1. Annal. Bojor.* Quidam, teste **CLUVERIO**, vocabulum hoc idem esse volunt, ac quod in antiquo Germanorum sermone legitur, *druithin, dbruchtin, & drughtin*, dominumque dialecto sua significat. Fidem huic facit, quod & **OTFRIDUS** scriptor in Lingua Francica vetustus vocabulo eo haut infrequenter utitur, ut in oratione Dominica, quæ apud **CL. PONTANUM** extat: *Fater unser guato bist druthim thu gimuato. In himilon jo böber, Vuib si Namothiner. Biqueme unsthinaz richi, Thaz bohe himelrichi, &c.* Ubi annotat Pontanus, *Druchtin* esse quasi *truustin* a fide ei, quod quandoque etiam pro ipso **DEO** usurpatum invenitur, unde eidem **Otfrido** *druthines Haus*, **DEI** domum significet, Islandiq; voce *druthim* **DEUM** hodieq; indigent. Non inconcinna etiam **PONTANI** ratio est, qui nomen **Druidum** ex Lingua Britannica deductum existimat, à duobus nimirum vocabulis *Try*, arbor, & *Wius*, sapiens, Philosophus, ut ita dicti sint, quasi *Silvestres Philosophi, arborum Philosophi, Waldtweisen*/ quum sub quercubus arboribusque aliis eos philosophatos esse inter omnes constet. Plura qui avert scire de nominis originatione, adeat *Cæsaris Commentatores*, (quos Anno 1606. conjunctim Francofurti edidit, **Godofr. Jungermann**;) & **Taciti**, imprimis **Magnum BOECLERUM**, *Præceptorem nostrum in Acad. Argentorat. Opt. etatemq; venerandum*; nec non

Berosy lib. V. Antiquit.

Cluv. lib. I. Germ. Antiq. c. 35.

Pontano lib. VI. Orig. Franc. p. 586.

In Gloss. prius Gal. p. 292.

A 3

BER,



BERNEGGERUM, CONRINGIUM & KIRCHMAIERUM,
in *Comm. de German.*

Alex. ab A-
lex. Genial.
Dier. Lib. IV,
c. 13.

J. Cæs. Comm.
VI. Bell. Gall.
Diod lib. V.
Strab. lib. IV.
Geogr.
Marcell. lib.
XV.

Micrælii Syn-
tagm. histor.
lib 1. sect. 3. p.
154.

Ber. lib. V.
Antiq.

Alsted. Chrö.
Schol. 30. p.
205.
Sched. Syn-
gram II. de
DI Germ. c.
2. p. 257.

II. Fuere a. Druidæ gens Gallica in Belgis, ut ALEXAND. AB ALEX. testatur, & apud Gallos præ omnibus Sacri. Sicut enim apud Persas *Magi*, in Græcia *Philosophi*, in Babylonia *Chaldei*, apud Indos *Brachmanes*, in Æthiopia *Gymnosophiste*, apud Scythas *Agrippai*, *Abij*, *Calui*, in Ægypto *Heliopolitani*, apud Hyperboreos *Arymphæi*, atque in Hispania *Turdetani*, sacri habentur: sic apud Gallos *Druidæ* magno in precio sunt, & divinis propè laudibus celebrati. J. CÆSAR omne Sapientum corpus ac $\sigma\upsilon\gamma\eta\mu\alpha$ sub uno comprehendit *Druidum* nomine: quod & CICERO, in *lib. I. de divinat.* fecisse videtur. DIODORUS, STRABO, & MARCELLINUS in tria universos distinguunt genera, quorum nomina *Bardi*, *Vates* & *Druidæ*. Ex his *Druidæ*, testibus Diodoro ac Marcellino, fuere *Theologi*; qui divinarum rerum occulta atque alta scrutantes, animas immortales esse pronuntiabant. eosdem etiam *Physiologos* & *Erbitos*, *Legumq; peritos* facit Strabo: & item *Sacrificos* idem auctor cum Diodoro.

III. Sequitur jam illorum *secta* introductio, quæ quidem usque adeo varia statuitur, ut qui se extricare conetur, Delio natatore opus habere videatur. Quidam inter quos MICRÆLIUS, à Germanis in Galliam Britanniamq; sacra, sacrorū ritq; sacerdotes, & si qua ad constituendā Rempubl. ulterius requiruntur, translata existimant, exindeque *Druidas* primitus in Germania ortos adserunt, institutosque ab *Istavo seu Istavone*, *Ingevonis F. quarto Germanorum Rege*, qui veremur ne forsan patrem *Ingevonem* dicere malint; de eo n. Psevd-BEROSUS scribit, quod Philosophus fuerit, homines ab immanitate morum ad humanitatem traducere studuerit, Scholasq; in Germania, in quibus artes disciplinæque liberales tradentur, adaperuerit. CL. ALSTEDIUS sub *Hermione Istavonis F* collegium eorum cœpisse existimat. SCHEDIUS ab ipso *Thuyfcone* institutos credit, cum *Aventinus* tradat, *Thuyfconem* politica alia omnia ord. nasse, & ex *Sabatij Saga*, quem

Arme-

Armenia ab Nino pulsum receperat, salutaria quæque instituisse consilio. Quidam a Samothe Celtarum Rege, quo, ut *Herodotus l.c.* habet, nemo illa ætate fuit sapientior, institutos, adjunt, nuncupatosque *Samothei*, quod Græci postmodum extulerint *Semnothei*.

IV. Verum enim verò audiendus hic est præ omnibus CÆSAR, qui in Britannia disciplinam Druidum repertam esse, & inde in Gallias translata, diserte adseverat, addens, suo etiamnum tempore qui diligentius rem cognoscere voluissent, plerumque illo discendi causa transfretasse. Cui TACITUS etiam adsurgit, ubi *Britanniam antiquam Druidum sedem* appellat. Et quidam alii, qui propius adhuc accedentes eos ex *Insula Mona, Britannis, secundum CAMDEMUM, Mon, Timon, & Ynis Dawyll, Saxonibus Monege, dicta, hodie Anglesey*, (nisi illam malis, quæ antiquioribus, teste BUCHANANO, *Manim & Eubonia*. P. Oroho, *Mevania* aut potius *Mœnavia* dicta est, & hodiè incolis *Menan, Anglis Man*, dicitur.) deducunt & *Hector Boëtius Lib. 11. Finnanum, Josinæ F. X. Scotorum Regem, pro primo institutore venditat.*

V. HABITUM eorum assignat CONR. CELTES PROTUCIUS, primus *Germania Poëta, ipse Friderici IV. Imp. manibus coronatus*, dum illum ex vetustissimo saxo nobis depictum voluit ad hunc modum: *Nudus, inquit, dum Joannes Theophilus nos in patriam suam ad radices Piniferi secum adduceret, dum forte in cœnobium divertissemus, conspeximus imagines lapideas sex, vetustissimo saxo ad fores templi parieti insertas, septem pedum, frons, nudis pedibus, capita intecti, græcæ pallio & cucullato, perulæ, & barba ad inguina usque promissa & circa naris fistulas bifurcata, in manibus liber & baculus Diogenius, serena fronte & tristi supercilio, ob stipo capite figentes lumina terris. Hæc enim Celtes, cui, si qua fides adhibenda, tum sanè cultus eorum Cycenico non multum erit absimilis. Capita intecti ætate forsan & sudore sereno aut in sacris solemnibus inceserunt. Quod nunc de intecti quandoque fuerint, id satis demonstrat cucullatum pallium, cui frustra alioquin aditus fuisset cucullus. Græcicum palli-*

J. Cas. lib. VI. Com. de bell. Gall.

Tac. in Vit. Agric.

Camdem. in descript. Britan. p. 722.

Buchan. lib. I. rer. Scotic. p. 25.

C. Celtes Protucius in urbis Norimbergæ descriptione cap. 3.

Diog. Laërt.
in vit. Philo-
soph. p. 286.
lib. VI.
Ovid l. XIII.
Metam.

Eurip. lib.
XVI. c. 44.

Varr. lib. IV.
de L. L.
Isid. lib. XIX.
c. 24.
Caesar lib. VI.
de Bell. Gall.
cap. XIV.

Mela lib. III.
de sit. Orbis
pag. 76.

pallium, procul dubio non aliud fuit, quam quo Athenis & ali-
libi Græci Philosophi amiciebantur. *Perula & baculus* simili
modo Græcorum philosophorum gestamen erant, quos primo
adsumsisse Antisthenes dicitur, apud DIOG. LAERTIUM. *Bar-*
bam circa naris fistulas bifurcatam ad inguina usq; promittebant,
quod & singularem præ se ferre gravitatem, animositatem ac
fortitudinem videretur: Siquidem, ut Poëta canit:

Barba viros hirtaq; decent in corpore seta.

Liber in manibus, additus fortasse an imagini est, qui Doctores
eos significaret, cum alias de Libris Druidarum parum aut ni-
hil fere constet. Denique, quod *severa fronte, tristi supercilio,*
obstipo capite ac terris lumina defixi inceserunt, id pariter etiam
Philosophis in usu fuit plerisque omnibus, ut qui jugi rerum
sublimium *μερμηρίζει* districti tenerentur, caperatam frontē
& *γάργωνιον βλεφάρων νέφθ*. ut EURIPIDES loquitur, rari
possent deducere. Atque recensitis hisce adhuc superaddi-
mus, quod candida etiam veste interdum culti inceserint;
qualisnam a. illa vestis fuerit, usque quaque non claret. Sa-
gum quidam fuisse opinantur, quod illud commune Gallorū
tegumentum fuerit, sagumque vocabulum Gallicum esse VAR-
RO & ISIDORUS contendant. Ut plura ne producamus.

VI. Druidum Doctrina & informatio juventutis præpri-
mis consideranda. *Ad eos n. magnus adolescentium numerus disci-*
plinae causa concurrebat, inquit CÆSAR. Alliciebantur quippe
cum auctoritate, tum immunitate, honore, & quibus Druidæ
gaudebant, bonis ceteris haut vulgaribus. A bello nimirum
abesse consueverant, neque tributa una cum reliquis pende-
bant, militiæ vacationem, omniumque rerum habebant im-
munitatem. Neque tamen illos promiscuè omnes in disciplinā
admisisse; sed non secus ac Græci, Indi, atq; Æthiopes, post
multa ingenii & animi ingenui documenta demum recepisse
credendum est. Et innuit hoc ipse MELA ubi *nobilissimos gen-*
tis ab iis edoctos adseverat. Et hoc jure justissimo: Druidarum
enim ut doctrina erat omnium nobilissima, ita etiam summa
in reliquos erat autoritas. Jam v. pretiosissimi uniones non
cui

cuius distorto ac male sano aut vili socordi; & inepto ingenio committendi erant, ne quid eorum disciplina detrimenti caperet. Et hoc isti sane quam studiose cavebant, eaque de causa nec discipulos suos doctrinam in vulgus efferre volebant, unde clā eos docuisse *Mela l. c.* scribit, ne videlicet, si omnibus eorū sacraria paterēt; autoritas tādē vilesceret. Sic & apud Græcos Meditrinæ sacris nulli initiabantur, nisi qui juramento prius confirmāscent, se artem illam, nisi ex Asclepiadum familia oriundo communicaturos nemini, ut ex juramento Hippocratis, quod egregio commentario illustratum ivit CL. MEIBOMIUS, satis patescit. Et hoc est quod ANDR. ALCIATUS denotari censet per librum clausum & apertum, qui solenniter hodie iis traditur, quibus Doctoratus insignia ab Academicis conferuntur. Ad moneri enim eos putat isto veluti Symbolo, ut indignis libros claudant, nec secreta & mystica revelent; doctis vero probisq; viris eadem pandant atq; aperiant, tamen si alio ab aliis ista tibi non nesciamus.

VII. Quemadmodum a. abscondendæ suæ doctrinæ Studiosi erant Druidæ, ita etiam *ωαδ&τῆρα* ipsorum rei huic admodum fuere accommoda. Ita enim *Mela l. c.* Docent multa nobilissimos gentis clam & diu vicenis annis in specu aut in abditis saltibus. Cui LUCANUS adstipulatur:

— *Nemora alta remotis
Incolitis lucis.*

Atque in saltibus hilce & specubus docebant illi juventutique transdebant, quæ CÆSAR habet, nimirum non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios. Multa præterea de sideribus atq; eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac potestate &c. An v. DEUM in essentia unum, & in personis trinum docuerint, quod CLUVERIUS & SCHEDIUS volunt, non temere adseuerimus, & si fecissent illud, dubio procul Christianorum Libris id didicissent. Mundum etiam teste STRABONE, interius experiri statuerit, quem tamen & aquam aliquando superatus

Conf. CL.
Kortbolci
Tract. de Philo-
lof Barb. p.
54 seq.

And. Alciat.
lib. VIII. Pa-
rerg. c. 10.

Lucan. lib. I.
Phars.

J. Cas. l. VI. c.
14. de B. G.

Cluv. lib. I.
Germ. Antiq.
c. 29.
Sched. Syngro.
II. de Dis
Germ. c. 24.
Strab. lib. IV.
Geogr.

va. Reliqua quod attinet placita, eadem & scriptorum penuria, & severa lex, qua doctrinae divulgatio prohibebatur, nobis inviderunt.

Strab. loc. cit.

Vid. Kortbolt de Barbarica Philos p. 55.

Mela lib. III.

J. Cas. loc. cit. cap. XIV. Conf. Diod. Sicul. lib. V. Bibliot. hist.

VIII. Ceterum Practicæ Philosophiæ assiduam etiam navabant operam, turpe rati, artibus imbutos non etiam vitæ honestate reliquis præcellere, ut STRABONIS testimonio constat. Atque hæc & similia discipulis, carminibus proponebant. Non latebat eos divina illa vis Poëtices, qua se in hominum animos insinuet, & de qua prolixè *Strabo contra Eratosthenem lib. 1. Geogr.* Magnum itaque numerum versuum memoriæ, nullatenus vero chartæ mandare cogebant, ne videlicet, si literis consignarentur, disciplina in vulgus efflueret, aut discipuli schedulis confidentes, minus memoriæ studerent, quas duas etiam rationes ipsemet CÆSAR l.c. adducit. Neque vero tumultuaria opera, aut semestri spatio discipulos doctos reddere conabantur, sed diu, inquit MELA, eos informabant, adeo ut nonnulli vicenos annos in disciplina permanserint, asseverante *Cæsare lib. VI. Comm. de Bell. Gall.*

IX. Totius etiam Reipublicæ administratio ab iis dependisse videtur. Siquidem id deducitur exinde, quod CÆSAR scribit, *Druides fere de omnibus controversiis, quæ publicis, quæ privatis, constituere.* Et STRABO loc. cit. *De horum (Druidarum) justitia, inquit, summa omnium est opinio. Itaque & publica iis & privata judicia committuntur, & aliquando causis bellorum disceptandis jam acie congressuros composuerunt. Maxime judicia de eade iis commissa sunt.* Eaque propter, ut eo purius, sanctius ac castius administraretur Diva Justitia, certo Anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Gallie media habetur, confidebant, in loco consecrato, quo omnes undique, qui controversias habebant, conveniebant, eorumque judiciis ac decretis finalibus, tanquam sacrosanctis parebant. Carnutum hodieque vulgo *Chartres* nominatur, regio Gallie multo amœnissima, silvis ac nemoribus cæsariata, ubi adhuc quædam eorum vestigia exstare dicuntur, oppidum videlicet *Dreux* ad Ebrum fluvium situm titulo comitatus conspicu-

Spicuum, quod à *Druidis* nomen sortitum esse existimatur. Vid.
Jodoc. Sincer. in Itiner. Gall. pag. 566. seq.

X. Potissimū a. Druidarum munus consistebat in procurandis
Sacrificiis tum privatis, tum publicis. Sic enim CÆSAR: *Drui-*
dæ rebus divinis intersunt, sacrificia publica ac privata procu-
rant. Convenit nimirum hoc cum eo quod STRABO l. c. as-

Cæs. loc.
cit.

serit: *Sacris,* inquit, *semper aderant Druidæ; & quod DIOD.*
SICULUS: *Absque Philosopho nemini sacrum facere fas est.* Nos
ut eo melius explicemus, singulas notare lubet circumstantias.
Et quidē locū quod spectat, ubi sacrificia administrabantur,
erat ille lucus, densus, opacus, horridus & ut *Lucanus* habet

Diod. Sicul.
lib. V.

— — *longo nunquam violatus ab ævo*
Obscurum cingens connexis æra ramis
Et gelidas alte summotis solibus umbras,

Lucan. lib.
III. de bell.
Pharf.

Et post:

Illic & volucres metuere insistere ramis,
Et lustris recubare fera, nec ventus in illas
Incubuit silvas, excussaq; nubibus atris
Fulgura non ullis frondem præbentibus auris,
Arboribus suis horror inest.

Ita nimirum Veteres tum Germani tum Galli, ut TACITUS
habet, nec cohibere parietibus Deos, nec in ullam humani o-
ris speciem assimilare ex magnitudine cœlestium arbitraban-
tur. Lucos ac nemora consecrabant, Deorumque nominibus
appellabant secretum illud, quod sola reverentia videbant.
Augustiora enim templorum structuris nemora videbantur ve-
tustis arboribus & solitam altitudinem egressis frequentia, &
conspectum densitate ramorum aliorum alios protegentium
submoventia: Ipsa illa proceritas silvæ celsioris, & secretum
loci, & admiratio umbræ in aperto tam densæ atque continuæ
fidem alicujus Numinis faciebat, qui recessus illos tam propiti-
um ac præsens, quam cœlum ac sidera, insideret. Neque tamen
quemlibet sacrificiis lucum destinabant, sed eum solum, quem

Tac. in lib. de
sit. & mor.
Germ.

B

anno

Avent. lib. 3.
An. Boj. p. 186.
187.
Plin. lib. 16. N.
H. c. 44.
Virg. lib. 3.
Georg. v. 32.

annosissimæ quercus ac procerissimæ altitudinis robora, qualia duo prodigiosa magnitudinis in ripa Danubii extitisse AVENTINUS tradit, conspicuum præ ceteris reddebant. Sic n. PLINIUS: *Nibil Druidæ habent robore sacratius, & per se roborum eligunt lucos, nec ulla sacra sine ea fronde conficiunt.* Unde Servius ad illud VIRGILII: *Magna Jovis antiquo robore quercus*, annotat: *Omnis quercus Jovi est consecrata.* Et ejusmodi quidem lucos tanta illi colebant religione, ut arborem ex his cecidisse, piaculum haberent. Imò, ut Lucanus canit;
—— — motiq; verenda.

Majestate loci, si robora sacra ferirent,
In sua credebant redituras membra secures.

XI. Porro Aram etiam in sacrario isthoc & lucorum silentio è cespitibus congestis gramineisque conglobaverant super ea potissimum perlitaturi, quæ & communem cum opacitate templorum suorum originem præferret, & ob cultus simplicitatem faventioribus uteretur superis. LUCANUS has structas sacris feralibus aras indigitat. VIRGILIIS eas gramineas vocat. Et Ovidius:

Araq; gramineo viridis de cespite fiat.

Lucan. l. c.
Virg. XII. Æneid.
Ovid. lib. V.
Trist. Eleg. V.
Strab. lib. IV.
Geograph.
J. Cas. lib. VI.
de Bell. Gall.

Tum aris huic adducebantur, victimæ quas STRABO *βορηνματὰ καὶ παντοῖα θνητὰ* fuisse dicit. Et PLINIUS l. c. candidi coloris taurorum mentionem injicit; CÆSAR ipse Marti, bellorum videlicet Duci, capta animalia à Druidibus fuisse immolata, haut obscure insinuat. Quinimo in gravioribus morbis, in præliis, vitæ periculis, aliisque magis ancipitibus rerum discriminibus constituti, ad humanas quoq; victimas, tanq. sacram anchoram confugerunt, videlicet quod, ut *Cæsar* ait, pro vita hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse aliter Deorum immortalium numen placari censebant. Ea propter in bello, si qua acies notare videbatur Marti captivos jugulabant, aut clade aliqua alia publica adfecti singulis DIs, quorum se offensam contraxisse opinabantur, singulas hostias consecra-

bant;

bant; ita tamen ut eorum supplicia, qui in furto, latrocinio aut aliqua noxa comprehensi erant, gratiora iis arbitrarentur, & non nisi deficiente ejusdem generis copia ad innocentium supplicia descenderent. Quod si tamen descenderent, adeo fuerunt immanes, ut nec priorum librorum fere pepercerint. Tanta erat Diaboli malitia, tanta hominum cœcitas! De modo a. immolandi, si lubet, vide **DIODORUM SIGULUM Lib. V. Biblioth. histor.** **STRABONEM Lib. IV. Geograph.**

XII. Viscum (germen, quercubus præprimis adnascens, German. Mistell/) Druidæ magna reverentia prosequantur, credentes contra venena omnia id remedio esse, fecunditatem ex potu cuicumque animali sterili tribuere, & tanquam panaceam quibuslibet morbis applicari posse, indeque illum, suo vocabulo, omnia sanantem appellabant. Imò & pro ipso Numine colebant, ut **ALEXAND. AB ALEX.** testatur. E. nimverò è cœlo missum putabant, signumque esse electæ ab ipso DEO arboris. Cumq; rarum inventu fuerit, repertum, eo majori religione petebatur, & ante omnia sexta luna, quæ illis mensium annorumq; principia faciebat. Itaque Druidæ ut **JO. PICARDUS TOUTRERIANUS** habet, ipso anni exortu, h. e. sub crepusculum vespertinum, aut primam noctis facem rudis plebecula ad lucos currebant, Druidibus effreno gaudio indicantes sicubi viscum reperirent. Et ne quis cunctaretur, designati erant, qui ad sedulam illius indagacionem singulos adhortarentur, unde **OVIDIUS**:

Ad viscum Druidæ, Druidæ clamare solebant.

Atque ubi reperissent sub arbore altare ædificantes, epulasque & sacrificia ritè præparantes, duos candidi coloris tauros admovebant, quorum cornua fronde loborea revinciebantur. Tum sacerdos candida veste cultus arborem scandebat, falceq; aurea demetebat, quod candido sago excipiebatur, inde victimas immolebant, precantes ut suum donum Deus prosperum faciat his quibus dederit.

XIII. Atque superstitiosi hujusce ritus vestigia etiamnum apud **Gallos** & maximè **Burgundiones** extare dicuntur, ubi

*Alex. ab Alex.
lib. III. Gen.
dier. c. 13.*

*J. Picard.
Toutrier. lib.
II. Celtopæd.
p 65. seq.*

Merul. part.
2. Cosmogr.
lib. III. c. II. p.
308.
Claud. de Ru-
bys lib. I. c. 29.
p. 4. 27 seq.

Plinius Lib.
XXIV. cap. II.
Hist. Nat. p.
m. 627.

Lib. XXIX.
cap. 3. H. N.

singulis annorum initiis ex plebe quidam sibi suisque bene precantes ostiatim per pagos & vicos conclamant: *Au guy l'an neuf.* ad viscum annus novus: geminata statim voce subjungentes: *Plantè plantè*, quo anni fecunditas atque fertilitas significatur. Quin & viscum strenæ loco mitti, eoque fortunatum amicis annum voveri solitum fuisse ex *Geropio Becano*, *Elia Vineto* & *Vignereo* notat *CL. MERULA*, & *CLAUDIUS de RUBYS*, Lugduni suburbium ultra Rhodanum, *Guillotiere*, dictum statuit tanquam *Guy l'hostiere*, quod credibile sit, Lugdunenses in silvam roboream, quâ vicina planicies, hodie *la plaine d'Ainrieu*, obducta erat, exiisse, & reversos deposuisse in illo suburbio viscum, ut post illa ab omnium ordinum hominibus solemniter cum balationibus, h. e. cantilenis saltatione mixtis, & idolis etiam Deorum suorum precedentibus in urbem deferretur, de quo amplius *JODO SINCERUS in Itiner Gall. p. 428.*

XIV. Pauca hinc subjungenda veniunt ex *PLINIO*, de *Druidarum Selagine*, de *Samolo*, de *Verbena*, de *Ovis serpentum magicis* &c. quibus ut *Medici* utebantur. Ita verò ille nos erudit: *Selago* (planta, foliis tamaricis, *Sabinæ* non dissimilis) legitur sine ferro dextra manu per tunicam, qua sinistra exiitur velut à furante, candida veste vestito, pureque (l. purâque sub, aqua) lotis nudis pedibus, sacro factis prius quam legatur, pane vinoque. Fertur in mappa nova. Hanc contra omnem perniciem habendam prodidere *Druidæ Gallorum*, & contra omnia oculorum vitia fumum ejus prodesse. Idem *Samolum* herbam nominaverunt nascentem in humidis: & hanc sinistra manu legi à jejunis contra morbos suum boumque, nec respicere legentem nec alibi, quam in canali, deponere, ibique conterere poteris. Cetera ad verbum isthuc transcribere, cum prolixiora sint, merito veremur, & chartarum angustia parcimus. Unicum hoc saltem superaddimus, quod Idem alibi: *Est Ovorum genus in magna Galliarum fama omnissum à Grecis. Argues innumeri estate convoluti, salivâ faucium corporumque spumis artificum complexu glomerantur, anguinum appellatur. Druidæ sibilis ea dicunt in sublime jacitari, sagode oportere intercipi, ne tellurem attingat. Profugere raptorem e-*
quos

quo: Serpentes enim insequi, donec arceantur amnis alicujus in-
terventu. Experimentum ejus esse, si contra aquas fluitet vel at-
ro vinctum. Atq; ut Magorum solertia occultandis fraudibus sa-
gax, certa Luna capiendum censent, tanquam congruere operatio-
nem eam serpentium humani sit arbitrij. Vidi equidem id ovum
mali orbiculati modici magnitudine, crusta cartilaginis, velut ace-
tabulis brachiorum polypi crebris, insigne Druidis. &c.

XV. Præterea suum habuerunt Principem, cujus summa
in constituendis rebus auctoritas; hoc mortuo, si quis ex reliquis
reliquis excellebat dignitate, succedebat, at, si plures erant
pares; suffragiis Druidarum, qui maximè idoneus erat, adle-
gebatur, teste JULIO. Salutare profectò institutum, cujus vi &
vigore pax & concordia facta recta inter eos fuit conservata, lis
diremta, fota amicitia, continuata disciplina. Ita nimirum
summa illius auctoritas vel sola illos in officio continere pote-
rat, ut quilibet, quæ suarum partium erant, $\chi\tau$ $\tau\alpha\epsilon\omega$ $\eta\sigma\iota$ $\epsilon\upsilon$ -
 $\chi\eta\mu\sigma\upsilon\upsilon\eta\eta$ absque offensa & tergiversatione perageret; Ita eti-
am tota religionum ceremoniarum moles ab ipso sustineba-
tur, ut illius nutu feriæ constituerentur & abrogarentur, mo-
dus Deos colendi proponeretur, profanum vulgus erudiretur,
& strictim, omnia quæ ad Deorum cultum spectabant, more
legitimo procurarentur. Non ab simili ritu ac apud Roma-
nos, de quibus DION. HALICARNASSEUS, PLUTARCHUS,
alii. Apud Germanos quoque, in singulis civitatibus, sive na-
tionibus, unum omnibus reliquis præfuisse Sacerdotibus ac
Philosophis, penes quem summa fuit rerum sacrarum, & apud
quem reliqui Sacerdotes initiarentur, CLUVERIUS existimat
Lib. 1. cap. 24 Germ. Antiq. p. 178. Conf. Strabo Lib. VII. Geogr. &
Marcell lib. XXVIII.

XVI. De eorum denique demigratione ut aliquid dica-
mus, ordinis nos, institutique commonefacit ratio. Nam se-
cundū SVETONIUM, Druidarū sacra civibus interdixit Octa-
vius Augustus, & post ipsum Tiberii Cæsaris principatus, ajen-
te PLINIO, eorum religionem sustulit, quanquam iterum
Svetonio auctore, eam utpote diræ immanitatis & tantum ci-
vibus

Lib. VI. Cöm.
B.G.

Dion. Halic.
Lib I. & II.
Antiq.
Plutarch. in
Numa.

Sveton. in
Claudio c. 25.
Plin. Lib.
XXX hist.
mun. c. 1.

*Aur. Victor.
in Claudio.*

*Lipsius in
Not. ad An.
Tacit.*

*Vossius Lib. I.
Idolol. c. 35.*

*P. Pitheus
Lib. 1. advers.
subsec. c. 3.*

*Lev. Torren-
tius ad Sve-
ron.*

*Mela Lib. 3.
de sit. Orb.*

*Strabon. lib. II.
Annal. Bojor.
in Tiber.*

*Celtes in de-
script. No-
rimb. c. 3.*

vibus sub Augusto interdictam Claudius penitus aboleverit. Cui quoque ad stipulatur AURELIUS VICTOR. Denique, bonis autoribus, inquit, compressa per eum (Claudium) vitia, ac per Galliam Druidarum famose superstitiones. Quod *κλεισιονος* LIPSIUS ita conciliare annisus est, ut Tiberium illos ex urbe tantum sustulisse, Claudium v. in Gallia etiam extirpasse censeat; cui hanc opinionem etiam VOSSIUS suffragatur. Sed verisimilius paulo conjecturasse videtur P. PITHOEUS, & LEVINUS TORRENTIUS, qui contendunt, utrumque quidem, sustulisse detestabilem illum sacrorum ritum, quo humanis hostiis litare fas habebant; non ita tamen sustulisse, quin abolitæ apud Gallos feritatis vestigia, teste MELA remanserint, & subinde forsan recruduerint. Ast isthac occasione accidit, ut quum Galliis plerique exturbarentur, in finitimas regiones & ipsam denique demigrarent plerique Germaniam, id quod AVENTINUS satis aperte: *Druidas, ait, Gallorum Philosophos & Vates Tiberius Imp. exegit omni Gallia, succisa eorum silva ipsi in Germaniam trans Rhenum demigrarunt.* Cui iisdem bene verbis etiam CELTES subscribit, quæ apud ipsum videantur. Quando vero utrobique tandem & in Britannia & Germania prorsus aboliti cessaverint, id nemo fere Auctorum tradidit. Quum enim post Constantinum M. Romano Imperio miserandum in modum turbaretur, occidentale regnum, atque adeo ipsæ etiam in primis Gallias Barbaris jugiter lancinantibus, Druidæ eorumque religio inobservati manserunt, nec in oriente Scriptor ullus, quum certi quid flagrantibus bello Galliis nemo fors habuerit, quicquam de iis tradere aut voluit aut potuit. CELTES de iis prædicat, quod sub Carolis, Arnolpho & Ottonibus Christianam religionem interpretantes, totam Hercyniam in amœnis & irriguis vallibus, & aprorum ac cervorum saltibus sub annosis & nigris quercubus, à quibus cœnobiorum suorum nomina, occupaverint: Et amplius idem subjungit: qui nunc divitiis & opibus ita crevère ut Regibus & Principibus nostris non inferiores sint, seu luxum seu arma consideres. Multi ex his ut divitiis & urbibus aucti fuissent, & ut illis dynastiam conjungerent, excusso religionis severioris jugo, abjectoq; cucullo, quem adhuc statis anni tēpori-

poribus ferunt, licentioris vitæ habitu populariter vivere ceperunt.
Hæc autem an testimoniis fide dignorum satis confirmari que-
ant, dubiosum est. Nos his abrumpimus, dicentes

DEO GRATIAS.

Uberioris Exercitii causa

Adjicimus hoc

COROLL. CHRONOLOGICUM.

In quod Anni tempus vera Epochæ Mundanæ πῆξις incidat? Et si
Mundum Æquinoctiorum tempore productum esse, extra
omnem dubitationis aleam apud plerosque positum sit: Cui
tamen è duobus Æquinoctio, num Verno an Autumnali, πῆξις
illa κῶσις ἐκτισμῶς indubiè affigenda veniat, magna adhuc
inter Chronologos Controversia agitur, Sententiâ utramque
Viris multis pariter & eruditis acerrimè propugnantibus. Nam
ex parte una Theologorum & Chronologorum Tempus Vernū
statuunt AUGUSTINUS, EUSEBIUS, AMBROSIUS, LUCAS
OSIANDER, BEDA, PERERIUS, BARANZANUS, ABRAH.
BUCHOLCERUS, HEINR. BUNTINGUS, THOMAS LYDY-
AT & alii: Quibus consentiunt plurimi quoque Gentiliū Po-
ëtarum, Philolophorum & Astronomorum, ut LUCRETIUS
Lib.V. & VIRGILIUS ille Maro, scientiæ omnis peritissimus,
Georgic.II. ita canens:

*Non alios primâ crescentis origine Mundi
Illuxisse dies, aliumvè habuisse tenorem
Crediderim: Ver illud erat: Ver magno agebat
Orbis, & hibernis parcebant flatibus Euri,
Cum primùm lucem pecudes hausere, &c.*

Ex advertio Judæi ipsorumq; Rabbini השנה הראשונה seu caput
Anni, Mense Tisti celebrant, & Mundum in Autumno con-
ditum esse asseverant: Quorum sententiæ subscripserunt mul-
ti Scriptores Græci, ut JOSEPHUS, CEDRENIUS, NICEPHO-
RUS, CLEMENS &c. & hoc nostro tempore patrocinantur

Chri-

August.

Quæst. 106.

super V. & N.

Test.

Euseb. in hist.

omnimoda.

Ambros. lib.

2. Hexa. c. 4.

Osiand. in cap.

7. Gen.

Beda lib. de æ-

quin. verno.

Perer. in Gen.

1.

Baranz. in

quæst. novis

diglad. 18. tb. 2

Lydyat. in

Tract. de var.

Ann. formis

cap. 1. & 2.

257/4 895

Scaligeri
pere de Tem-
porum Emen-
datione. Lib.
5. pag. 368.

Calvis. pag.
138. 2. m. Isag.
Vid. GL. Æ-
gid. Strauch.
loc. cit.

Conf. Casm.
Cosmog. cap.
V. 4. 3. arg. 6.

Sigonius Lib.
III. de Rep.
Ebr. c. 18.

Christiani Chronologi non pauci, inter eos nominatim Il-
lustris Vir JOSEPHUS SCALIGER, quem postea secuti sunt
SCULTETUS, CALVISIUS ipse in *Isagoge cap. 34.* & ORIGE-
NUS in *Ephem. introductione Part. 1. c. 1. pag. 7.* LANSBERGIUS in
Chronol. L. II. c. 2. ZANCHIUS *L. 6. de oper. sex Dier. c. 1.* PISCA-
TOR *quest. in Gen. c. 1.* DANÆUS *Phys. Christ. L. I. c. 39.* WENDE-
LINUS *contemplat. Phys. sect. 2. c. 15.* VOETIUS *disput. Theol. Tom.*
II. p. 588. nec non Celeberr. Dn. D. STRAUCHIUS, vir ob multi-
plicem eruditionis solidæ copiam & incomparabilem ingenii
solertis industriam commendatissimus, in *Breviar. Chronol. Lib.*
4. c. 1. q. 3. 4. Nobis itaque sententia posterior, à Magno SCALI-
GERO, *Calvisiog.* propugnata, amplectenda venit, quoniam
ea, sicut ipse de eadem CALVISIUS protestatur, *argumentis e-*
videntibus ex S. Scriptura, antiquissimorum Auctoritatibus, & con-
jectura probabili desumptis nititur, cui contradicere velle magna
temeritas videtur. Maximè cum & Calvisii vestigia hoc tempo-
re omnes fermè Chronologi eruditiores unanimiter in multis
premant. Salvis igitur limatioribus aliorum judiciis, dicimus,
Mundū fuisse creatum tempore autumnali, in Æquinoctio videli-
cet autumnali, quo Sol ingreditur signū Libra, ac dies & noctes inter
se coequat; Quod seqq. arg. probari potest. *Primò* Quia an-
te diluvium certum est incepisse annū eo tēpore, quo Mundus
fuit conditus, & ita quoq; Noachum illos annos numerasse, cū
aliis Patribus, qui ante ipsum fuerunt. At Noachus incepit an-
nū ab Autumno. *E. Secundò.* Quia simul homo, ceteraq; animā-
tia fuerunt creata Probabile a. est, eo tēpore fuisse creata, quo
fructus hodie ad maturitatem suam perveniunt, quod incidit
in autumnū, ut inde animalia & sustentētur & cōserventur.
Tertio Quia ante exitum ex Ægypto annus incipiebat ab Autumno,
teste CAROLO SIGONIO. *Quarto* Quia Exod. XII. 2. DE-
US legitur mutasse annum, & primum mensem constituisse
Nisan, seu Abim, qui nostro Martio correspondet. Quare a. tum demū
Deus primū Mensem constituisset Nisan, si jã ab exordio Mundi perpe-
tuò primus fuisset? Vid. CAPELL. *Histo. sacr. & Exot. p. 81.* nec non
Venerandum Argentinx Præsidem Dn. D. DANNHAWERUM, Patro-
num ac Præceptorem nostrum benevolentissimum, in *sua scient. nat.*
part. propr. c. 1. §. 4. Reliquæ rationes, quæ plures afferri solent, temporā
locoque alii commodiori, vel ipsi etiam *Evangelio* reservantur.

FINIS.

WAS

an




ll.
nt
Ae
in
A-
E.
m,
ti-
nii
ib.
LI-
am
e e
on-
na
po-
tis
s,
eli-
ter
an-
lus
cū
an-
rā-
quo
dit
ur.
to,
DE-
mū
pe-
n-
ro-
sat,
ori

Pgn Th 895 aut

ULB Halle 3
003 087 220





B.I.G.

Farbkarte #13

QR. 523, 14

B. m. II

II h
895

DEI OPE!
MELETEMA HISTORICUM
DE
GALLORUM
DRUIDIS

VENTILANDUM
SUB
MODERAMINE

M. Jo. FRID. SCHARF.


P. P.

OTTO RAHN

STETINENSIS.

AD D. IX. M. XBR.

H. L. Q. C.



WITEBERGÆ
LITERIS JOHANNIS HAKEN.

BIBLIOTHECA
PONTICAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

OTTO RAHNENS